Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2039
Quelle:
Copyright:

plus gaudii contulit quam pudoris. (Pudor enim manſit intactus). *Lætatur enim quod uirgo concepit. quod cęli dominum clauſis portauit uiſceribus. quod uirgo edidit partum. O magna clemencia deitatis. quę uirum non cognouit. et mater eſt. et poſt filium uirgo eſt. Duobus enim gauiſa eſt muneribus. Miratur quod peperit. lætatur quod edidit redemptorem ihęſum chriſtum dominum noſtrum.* Certe illa, quam ad *Annunciationem S. Mariae Pamelius*, *Muratoriusque* referunt, non parum ab hac Praefatione abludit. *Fol. eod.* p. 2. litera quadrata luculenta aurea nitidiſſima: *In Nomine Domini Incipit Liber Sacramentorum De Circulo Anni A Sancto Gregorio Papa Romano Editus.* &c. Et χρυσογραφια quidem eodem ſplendore continuatur 8. paginis uſque ad verba Canonis: *cum famulo tuo papa noſtro illo.* quae paginae non ſolum limbis vetere illo guſtu deauratis et picturatis, verum etiam τω VERE *Praefationem* inchoante ita auro coloribusque expreſſo gaudent, ut V totam paginam impleat et veluti ventre ſuo reliquas tres literas forma inuſitatiore prorſus quadrata ad perpendiculum collocatas contineat. Eadem ratione initium Canonis TE totam paginam occupat, litera E truncum literae T medium amplectente, ut nihil quidem elegantius illius aevi videri poſſit. Textus cum *Muratoriano*, ejusve variantibus prorſus conſentit, niſi, quod in verbis conſecrationis Panis habet *enim*, ut hodie, et Formula Memoriae Defunctorum a Librario in contextu neglecta ad marginem minutiore ſed coaevo charactere ſubpleta eſt. Eodem modo, ſed manu paullo recentiore adjectum eſt in Commemoratione Vivorum: *et antiſtite noſtro et omnibus orthodoxis catholice atque apoſtolice fidei cultoribus.* Adſunt praeterea Gloſſae quaedam interlineares ſynonymicae, et ad marginem uberiores expoſitiones dictorum in Canone, ut v. g. ad *Dominus Vobiſcum* notatur: *Sacerdos orat ſalutando populum, ut clerus et populus participes ſint pariter cum domino.* Ad: *Cum Spiritu tuo*, ita: *Reſponſio populi eſt, ut quemadmodum ſacerdos orauit dominum eſſe cum illis: ſimiliter ſit cum ſpiritu ſacerdotis ut ſecundum apoſtolum mens et ſpiritus noſter unum ſint. Pſallam ſpiritu pſallam et mente* &c. Ad το *ſupplici confeſſione* citatur *Caſſiodorus.* Commentaria porro haec paullo tardius adjecta videntur. Specioſum hoc Antiquitatis liturgicae Monumentum ad Eccleſiam *Leodienſem* quondam perveniſſe ex eo arbitror, quod *fol.* 8. in Formula *Nobis quoque peccatoribus* inter nomen *Petri* et *Felicitatis* alia manu ſuperſcriptum eſt nomen *landberti* ſeu *Lamberti* Ep. Mart. *Traject.* quod nomen etiam in nota marginis *fol.* 6. p. 2. eraſa reſcriptum adparet, ubi in *Canone* Apoſtolorum et martyrum nomina recenſentur.